

## **Qvadripartitae Conciones Stanislai Grodicii Societatis Iesv**

Qvarum Primae, Timorem Sanctvm Incvtiunt; secundae Fidem Catholicam confirmant; tertiae Spem erigunt; postremae diuinam in nobis Charitatem excitant ...

Continet sex Dominicas Quadragesimae, & coenam cum paßione Domini

**Grodzicki, Stanisław**

**Ingolstadii, 1609**


Præfatio Ad Lectorem.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56003](#)



## PRÆFATIO AD LECTO, REM.

**I**n tertium concionum mearum emitto tibi tomum lector beneuole, diutius quidem pressum, non tamen suppressum; quorum illud tum natura ingenij mei, tum Typographi cuiusdam nescio quæ præter salientia, hoc diuina bonitas & superiorum facultas effecit. Ad ipsas conciones quod attinet, eæ prioribus non sunt absimiles. Vnum tantum additum, & alterum est immutatum. Cum enim hucusq[ue] solas tantum Dominicas dare tibi soliti fuerimus, in tomo isto sex illæ quæ in Quadragesimam incident, tum cœ-

A 2 nam

PRÆFATIO.

nam : tum passionem domini nostri Iesu Christi adiunximus , ut & petitione quorundam, & consuetudini harum partium satisfaceremus : quod & tibi haud ingratum fore speramus. Mutauimus vero solitam methodum in tractanda passione domini: Nam contra hereticos , nullam hic peculiarem instituimus concionem , in decursu tantum orationis quedam eaq[ue] paucissima attulimus. Ceterum duplice alia via eam aggressi sumus. Earum prior unum ; posterior tres continent sermones. Illa historia ex omnibus quatuor Euangelistis concinata innititur, ha certa tradantur methodo. Prior tam est prolixa , ut facile quatuor aliis responde re & equari queat. Nec mirum, explicat enim totam eam q[ui] benè longam passionis Christi Iesu historiam , & non solum sacri contextus omnia (quantum in nobis fuit) tollit dubia, sed etiam, tū hinc & inde variis ad mores pertinentib. aspergitur doctrinis tū motus cscet sed breuiter, neq[ue] ex professo: tum imitationē virtutum Christi Iesu diligenter inculcat. Hic enim est alter

PRÆFATIO.

ter huius concionis scopus. Proinde preter ea que circa explicationem literæ hac in parte occurabant, sub finem dictionis, meditandi hoc fine passionem Christi normam quanquam tradidimus. Porro hic sacram historiam populo proponendi modus sicut plebi est acceptissimus: ita præcipuum afferit utilitatem. Propterea si cui vires & latera sufficiunt apud vulgus est exercendus. Sed utendum moderatione; tum vocis ut durare valeas; tum materiae ut aliquando finias. Idcirco ex iis que dedimus ea que ad explicationem contextus, & concordiam Euangelistarum pertinent, aut succincte notari aut penitus omitti: assumi autem aliqua ex aliis concionibus ad commouendos affectus poterunt; quod & nos obseruare soliti sumus. Hac de prima. Relique vero conciones ista habent. Primo breviores sunt, & ut dixi methodice, quorum illud delictioribus auditoribus, quales plerunque esse solent Magnates, fauebit: hoc memoriam iuuabit. Secundo singulæ earum ad peculiarem affectum in auditoribus com-

PRÆFATIO.

monendum sunt ordinatæ. Id tamen ita  
obserues velim, ut in referto auditorio ex  
diuersis auscultantium generibus colle-  
cto, uniuersum suum non desit pabulum;  
præsertim verò obstinationibus, qui cum  
alias negligant rati tamen die ventitare  
solent ad concionem: ideo ex singulis  
quas posuimus aliquid decerpssisse iu-  
nabit. Nos verò ordinis conseruan-  
di gratia, materias non discerendas  
sed singillatim esse tractandas indica-  
nimus. Tertio deditus operam ut in  
singulis quidem concionibus historiam  
passionis Christi percurreremus, vel  
tangeremus potius, in iis solummodo  
immorando, quæ ad scopum concioni  
illi præstitutum collimabant. Postre-  
mò singulis istis tribus sermonibus the-  
ma aliquod ex ipso Evangelio deprop-  
ptum, & emphasis causa in vocula E.C.  
CE fundatum breuiissimum duobus tan-  
tum vel tribus verbis constans, praefi-  
gendum curauimus. Tum ut iis qui  
thematibus delectantur morem gerere-  
mus: Tum ut orator habeat quo colli-  
met,

## PRÆFATI O.

met. Sunt enim ea ni ego fallor fini  
destinato consentanea & conuenien-  
tia. Fines autem isti sunt tres prima-  
rii: nempe contritio sive dolor de pec-  
catis pro impænitentibus, ut ad Deum  
conuerti incipient: Compas̄sio sive com-  
mis̄eratio, pro iis qui in virtutibus  
progrediuntur: & admiratio charita-  
tem generans vel ex charitate proce-  
dens, quam Augustinus uno verbo com-  
punctionem vocat, qua tamen in scri-  
ptura plerumque ad dolorem refertur.  
Contritioni seruit concio, quæ est in or-  
dine quidem secunda ex breuioribus ve-  
rò prima: habetque pro themate tria illa  
verba Pilati ad Iudeos: ECCE REX VE-  
STER: quæ à nobis tum eisdem Iudeis:  
tum Christianis, in primis verò obſtinatis  
applicantur. Compassioni seruit tertia,  
quæ duo themata gerit, utrumque ex o-  
re Chr̄iſſi Iesu in cruce pendentis proce-  
dens. Alterum ad matrem ECCE FILIVS  
TVVS, quod eidem quidem beatissimæ vir-  
gini adaptatur: sed non de Ioanne, verum  
de ipso Iesu intelligitur. Alterum

A 4 dictum

P R A E F A T I O.

dictum est ECCE MATER TUA.  
istud nos de ipso Christo intellectum no-  
bis metipsis accommodamus. ac si uni-  
cuique nostrum diceretur. ECCE MA-  
TER TUA CHRISTVS IESVS,  
te summis cum doloribus parturiens  
& instruens: compatiaris igitur & an-  
dias illum. Ultima denique duo illa  
verba Pilati ECCE HOMO proposui-  
mus, eaq; primum quidem ad Deum pa-  
trem admirationis & flectend& ipsius mi-  
sericordia causa: deinde ad nos charitatis  
& gratitudinis in nobis excitanda gratia  
direximus. Postrem notandum est nos in  
calce non solum prime, de qua iam dixi-  
mus, sed etiam reliquarum concionum  
apposuisse puncta quadam breuissima pro  
passione Christi, ad eum quem prescriptū  
habent scopum apta & idonea: id verò eo  
fine fecimus, ut quod in nostris deest con-  
cionibus (deest autem plurimum) à deuo-  
tis & diligentibus diuinæ huius historie  
contemplatoribus suppleri queat. Hec  
sunt quæ tomo isti præmittenda esse vide-  
bantur.

PRÆFATIO.

bantur. Reliquum est, ut sicut alias, ita  
nunc iterum iterumq; me orationibus  
tuis pie lector commendem, quod etiam  
atque etiam facio: ut si ad maiorem  
est Christi Iesu gloriam, qui dedit &  
velle & hæc elaborare: det continuare  
ac perficere ad laudem nominis sui  
sanctissimi tuumque emolu-  
mentum.



A 5

Facul-